

FLORA.

№ 17.

Regensburg. Ausgegeben den 6. September.

1871.

Inhalt. C. Hasskarl: De Commelinaceis quibusdam novis. — Literatur. — Botanische Notizen. — Anzeigen.

De Commelinaceis quibusdam novis
auctore
C. Hasskarl¹⁾.

Phyrrheima Loddigesii Hsksl.
(cf. Hsksl. Flor. 1869 p. 367²⁾; id. Commel. 171. Obs. II.)

Descript. secund. specim. spontan. Gaudichaudii — prope Rio Janeiro Brasiliae repertum et 337 significatum. — Caulis repens crassiusculus, fibris longis (1½—2"), crassiusculus flexuosis solo adnatus, flexuosus, apice adscendente, una cum ramis paucis brevibus erectis, petiolis, foliorum nervi medii parte inferiore, pedunculis et perigonio externo pilis patentibus ferrugineis dense obtectus indeque hirsutissimus, caulis tantum dein magis glabratus. Folia erecta; petiolis 1—2" longis crassiusculus (1—2½"), apice leviter canaliculatis, in laminam sensim transeuntibus, basi subito dilatatis amplexicaulibus partem caulis supraxillarem foventibus, suffulta; lamina forma valde diversa, plerumque elliptica, lanceolata, obovato-elliptica, acuta aut acuminata, basi plus minusve

1) Da meine Augen mir jedesmal bei erneuerten Versuchen mikroskopischer Arbeiten so sehr schmerzten, dass ich genöthigt wurde, dieselben aufzugeben und ich in Folge davon die mir von verschiedenen Seiten gütigst zugesandten Herbarien der Commelinaceen zurücksenden musste, so will ich noch einige Notizen zu dieser Familie, die ich für spätere ausführliche Arbeiten über dieselbe zurückgelegt habe, in der Flora veröffentlichen. Dr. Hasskarl.

2) An der angegebenen Stelle ist in der 3. Zeile von unten statt: „mehr eine“: „mehr als eine“ zu lesen.

Flora 1871.

17

attenuata, 3—5" longa, 13—31" lata, nunc in altero specimine obovata utrinque acuta 30—32" longa, 18" lata, aut subrotundo-ovata acuta, 24" longa, 18" lata, imoque infimi folii ovalis parva, 10" longa, 7" lata; juvenilis a margine versus nervum medium paginae superioris involuta, villosa. Pedunculi ad apicem caulis ramorumque axillares (nec terminales Kth., nec radicales Lodd.), in axilla quaque solitarii erecti, tenues, graciles nunc pro ratione petiolorum tenuissimi, apice articulati 1—2- (an etiam 3?-) flori, longitudine petioli sui proximi (1—2"); bractee ad apicem pedunculorum minutae caducae, inter pilos densos occultae, plerumque caducae deficientes; pedicelli 2" longi, erecti, dein apice curvati; alabastrum ovatum acutum 3—4" long., 2½—3" crassum, dense ferrugineo-villosum; flores grandes erecti succedanæi evoluti. Perigonium externum 3-phyllum, sub anthesi patens, post anthesin connivens; foliola paullo inaequalia, e basi ovata lanceolata acuminata 6" longa, 3—4" lata, extus (subtus) pilis ferrugineis, praeprimis apicem versus in nervo medio hirsutissima, intus (supra) glabra; perigonium internum triphyllum, corollinum, externo multo majus, lilacinum, extus pallidius, nervis furcatis intensius coloratis flabellatim percursum; foliola obovata s. obovato-subrotunda, 8" longa, 6" lata glabra. Stamina 6 aequalia, basi ima foliolorum perigonii interni inserta, aequalia (vix: alterna paullo breviora Kth.), parva in fundo floris pistillum cingentia, in alabastro 1", dein sub anthesi 3" longa, persistentia; filamenta teretia, in alabastro anthera sua paullo longiora, sub anthesi filiformia, tenuia, imberbia, anthera sua multo longiora; antherae conformes, luteae, versatiles, basi connectivi insertae, e loculis binis curvatis connectivum transverse-ovale utrinque marginantibus, inaequaliter insertis conformatae orbiculares, utrinque leviter emarginatae; dein connectivo supra lineam medianam complicato loculi sibi sunt paralleli contigui, per totam longitudinem rima debiscentes, marginibusque sese revolventibus faciem internam praebent indeque formam irregulariter cuculiformem referunt. Germen ovatum parvum 3-loculare, totum pilis erectis fulvis setoso-hirsutum, 1" altum; stylus filiformis, 2" fere longus, erectus, persistens, glaber (nec: styli 3 inferne connati? Kth. mspt. et icon in herb. berol.), apice paullo incrassatus, truncatus, papillosus; gemmulae in loculis biseriatae 4—6? (Kth.) — Fructus desunt!

In herbario comitis de Franqueville specimina adsunt fructificantia, a Gaudichaud prope Corcovado, Brasiliae

lecta, pariter sub no. 337 conservata, — paullo robustiora, certe autem huc pertinentia: Pedunculi fructificantes a basi sunt reflexi aut basi sunt in axilla foliorum erecti (per longitudinem 8''') et dein reflexi, cum fructu suo terminali solum petentes, 2—3'' longi, pro ratione totius plantae tenues flexuosi, dense ferrugineo-hirti. Perigonii externi foliola persistentia, fructum obtegentia et supra eum conniventia ideoque curvata, 9''' longa, 3—4''' lata; fructus subgloboso-trigonus, 5''' altus, 3''' latus, styli rudimento coronatus, mucronatus, suturis acute prominulo-marginatis, 3-ocularis, 3-valvis (an potius indehiscens?), membranaceus, hirtulus, apice paullo inaequalis e loculo uno minori. Semina in loculis binis majoribus 2 superposita, ubi sese tangunt truncata; in loculo tertio solitarium tenuius; omnia fusco-cinerea, corrugata conferuminata, 3-gono-pyramidata, acuta, facie interna hilo oblongo notata, pallidiori laevi, ibique rima angusta praedita.

Specimina culta in hrt. berol. (herbarii reg. berol.) vix a spontaneis differunt, in uno tantum caulis erectus magis robustus et pedunculi 1-flori observantur et cum hoc specimine conveniunt specimina robustiora herb. imp. Vindob., a Pohl mensib. Novbr. et Decbr. 1817 in umbrosis montis Corcovado, Brasiliae reperta, sub no. 5217 conservata addito nomine: *Tradescantia hirsutissima* Pohl.; alterum specimen, eodem sub nomine conservatum, ab eodem viro illustr. in Brasilia lectum (no. 5490), vix diversum videtur nisi omnibus partibus magis robustis foliisque majoribus, 8'' longis et 3'' latis.

Belosynapsis kewensis Hsskl. ¹⁾

Quod ad gen. Si gemmulae in loculis plures quam 2 adessent, generi *Pyrrheima* Hsskl. (Flor. 1869. p. 366, Commel. 170. Obs. II) accederet, differt autem conformatione antherarum, filamentis haud barbatis, foliis petiolatis latis, pedunculis confertis aliisque signis. *Sauvallia* Wght. (Hsskl. Commel. 60 XV) differt germine 2-loculari, inflorescentia involucreta, uniflora; pariter praesentia involucri. *Tradescantia* Plum. L. et *Campelia* C. L. Rich. distincta sunt genera. Inter *Tradescantieas* exinvolucretas *Tradescantia* Plum. L. et *Forrestia* A. Rich. inflorescentia umbellata aut glomerata, *Cartonema* RBr. praeter alia signa: inflorescentia spicata, filamentis imberbibus, foliis linearibus diversa sunt genera.

1) βέλος = sagitta, σύναψις = connectivum.

Descript. Herba — in horto *kewensi Angliae* culta, patria mihi ignota — habitu *Sauvalliae* Wght. et *Aneilematis pauciflori* Wght. Ic. 2077, — rufo-villosa (pendula? — sec. delineationem simplex, parva vix 5" longior). Folia vagina brevi suffulta, superiora sessilia, amplexicaulia, obliqua, basi cordata, ovata acuta, patentia 17" longa, 8—8¹/₂" lata, subtus pilis minutis fuscis erectis mollia, supra pilis longis adpressis fulvis obsessa, tactu mollia, vagina brevi, 2¹/₄" longa, pilis rufis obtecta suffulta, ad margines subciliata; summa subito minora, in axilla pedunculum foventia, basi minus excisa, ovata, magis acutata, magisque villosa viridia. Pedunculi ad apicem caulis axillares breves tenues, inferiores folio suo breviores, superiores eisque valde diminutis aequilongi, 3" circiter longi, tenues, erecti, dense rufo-villosi, apice nunc folia bina valde diminuta gerentes, 1-flori. Flores parvi azurei; perigonium externum 3-phyllum, sub anthesi patens, ante et post anthesin connivens, extus pilis rufis patentibus hirsuto-villosum; foliola laete viridia, intus (supra) glabra, tenuia, membranacea oblongo-lanceolata acuta, nervo medio validiori percursa; internun (perig.) triphyllum, tenue, membranaceum corollinum, caeruleum, siccando albidum; foliola obovata acuta, nervis tenuibus flabellatim dispositis decoloratis percursa, 3" longa, 2" fere lata; deflorata supra genitalia in globulum inflexo-corrugata eaque includentia, persistens, externo brevius. Stamina 6 (in flore unico, quam inspicere mihi licuit) conformia, omnia fertilia, perigonium internum excedentia; filamenta longa flexuosa, basi alba, imberbia, supra medium pilis longis articulato-moniliformibus intense caeruleis barbata, infra apicem nuda ibique lageniformi-incrassata, apice ipso acutissimo; antherae flavae, erectae obcordato-ovatae, in basi acuta insertae; loculi oblongi obtusiusculi, connectivo albido obcordato-sagittato sejuncti, basi conniventes, apice valde divergentes, rima longitudinali toti dehiscentes; pollen albidum copiosum, ovatum, linea mediana notatum, articulis pilorum filamentorum consimile. Germen parvum erectum ovatum, a medio ad apicem pilis erectis rufis strictis obsessum, 3-loculare; gemmulae in loculis binae superpositae; stylus albidus imbetbis filiformis (in flore deflorato bis geniculatus, sigmoideo-refractus, sub apice paullo incrassatus, apice ipso truncato papillosa. Fructus desunt.

Mandonia boliviana Hsskl.

Quod ad genus: *Mandonia* Hsskl. (gen. nov.) — *Tradescantia* exinvolucrata, floribus axillaribus vix exsertis, perigonio utroque

3-partito; staminibus conformibus, filamentis complanatis, basi parce, supra medium dense barbatis, antheris versatilibus, connexivo securidiformi, loculis teretibus curvatis; germine 3-loculari, gemmulis in loculo quoque binis superpositis; capsula perigonio externo cincta, interno lateraliter oblecta, loculicida; seminibus in loculo quoque binis superpositis, scrobiculatis.

Habit. Boliviae prov. Larecajam in viciniis Soratae montis colles Ullontiji ad scopulorum radicem in regione temperata, altit. 2700 met. s. m. sprfic., ubi in mensibus Februario ad Aprilim 1858 legit hanc plantam G. Mandon et sub no. 1239 communicavit.

Descrpt. Herbae robustae, basi repentes ibique ramosae, fibris crassis longis flexuosis solo adfixae; rami e caule procumbenti, vaginarum residuis ornato, erecti, crassiusculi, recti, 1—1½' alti, strictiusculi, molliter pubescentes, simplices, apice in axillis florigeri; internodia 1" et ultra longa, 2—5" crassa, plerumque basi tantum vaginis inclusa; vaginae amplae breves, herbaceae, siccando membranaceae, pallidae, nervis pluribus intensius coloratis percursae, molliter puberulae, dein glabratae, ore ciliatae et in laminam folii transeuntes, 3—4" altae, 4—5" latae; folia sessilia, inferiora ovato-lanceolata, acuminata, 2½—3" longa, 16" lata, plana, patentia; superiora sensim magis angustata et basi breviter subpetiolata, e basi oblonga lanceolata, acuminata, 3¼—2½" longa, 11—8" lata, complicata, plerumque supra basin reflexa, ramo adcumbentia; omnia supra glabra, margine tantum praeprimis apicem versus puberulo excepto, subtus cano-pubescentia. Flores in axillis foliorum (6—8) superiorum plures densi, e vaginis paullo exserti, ante et sub anthesi erecti, post anthesin incurvi, cernui; bractee tenues membranaceae, fuscae (in sicco), exteriores ovatae acuminatae, interiores minores oblongae acutae, extus hirsutae, ciliatae, foliorum vaginis breviores et ab iis occultae, pedunculis arcte adpressae; peduncili tenues, teretes, flexuosi, 4—6" longi, post anthesin dein apice incurvi, una cum pagina exteriori perigonii externi dense pubescentes; perigonium externum 3-phyllum, extus pubescens, intus glabrum, sub anthesi patens, post anthesin connivens, persistens, in alabastro ovatum acutum, 3" altum, 2" crassum; foliola oblonga, acuminata, 3½" longa, 1½" lata, sub fructu navicularia, 5" longa, 3" lata; perigonium internum violaceum, externo paullo majus, persistens, marcescenti-corrugatum, 3-phyllum; foliola obovato-ovalia aut intimum obovatum, basi breviter attenuata, nervis intensius colo-

ratis, furcatis, basi flabellatim percursa, 3—4''' longa, 2—3''' lata, glabra. Stamina 6, conformia, subaequilonga, supra germen conniventia eoque longiora, 3''' longa; filamenta complanata, tenuia, margine albido-membranacea, erecta, strictiuscula, apicem versus flexuosa, basi ad medium mediocriter, supra medium dense pilis albidis articulatis penicillatim barbata; antherae versatiles connexivi albidii transverse lati, utrinque emarginati securidiformis basi insertae; loculi margini connexivi adnati, curvati, teretiusculi, late sejuncti; ope connexivi supra lineam medianam complicati nunc parallele contigui; pollen copiosum flavescens, oblongum, linea longitudinali notatum. Germen parvum obovato-trigonum, densissime pilis erectis strictis acutissimis obsessum, indeque hirsutum, vix 1''' altum, 3-loculare; gemmulae binae in loculo quoque superpositae; stylus elongatus, tenuissimus, filiformis, violaceus, apicem versus paullo incrassatus, truncatus, dein apice hamato incurvus, 3—3½''' longus; stigma minutum vix capitellatum, papillosum. Capsula nutans e pedunculo incurvato, perigonii externi foliis navicularibus, nunc majoribus arcte cincta, praesente quoque plerumque perigonio interno emarido, apice corrugato capitulum formanti, basi ad alterum latus soluto, lateraliter persistenti, trigono-obovata, basi nuda, supra basin hirsuta, 3''' alta, 3-ocularis, ad medium (dein ad basin?) 3-valvis, valvis conniventibus, in linea mediana interna septiferis. Semina (immatura) in loculis gemina superposita, ubi sese tangunt truncata, caeterum pyramidata, scrobiculato-exsculpta et operculo embryali orbiculari umbonato munita.

Cartonema R. Br.

Cf. R. Br. Prodr. Flor. 271 (127); (F. Bauer illustr. t. 7 haud vidi); Poir. Enc. Sppl. II. 123; Sprng. Gen. II. 248. 1293; R. S. Syst. Veg. VII. LXIV. 1470; Endl. Gen. 1035; D. Dtr. Synops. II. 1056. 1461; Knth. Enum. IV. 115. — R. Br. in Flinders Voy. II. (verm. Schrift. I. 104); Lehm Plnt. Preiss. II. 55. no. 2228.

Character. gener. reformatus. Flores regulares; perigonium externum calycinum 3-phyllum persistens; foliola lanceolata acuminato-subulata, navicularia, patentia, dein erecta; perigonium internum corollinum externo brevius; foliola subrotundo-obovata, basi breviter angustata, aequalia, marcescentia nec corrugata; stamina 6 aequalia, 3 perigonii interni foliis alterna, 3 eorum basi inserta, erecta peristentia; filamenta basi latiuscula, subincurva dein recta, ad apicem, subulata, imberbia; antherae con-

formes oblongae, primo filamentum suo longiores, post anthesin iis breviores, supra sinum baseos insertae, biloculares; loculi bilocellati, paralleli, basi sejuncti, apice biporosi, poris oblongis; germen sessile, ovato-trigonum, in stylum triangularem, apice subulatum persistentem productum; stigma papillosum; gemmulae in loculis binae superpositae, sessiles; capsula perigonio externo multo brevior, 3-locularis, 3-valvis, valvis apice styli rudimento mucronatis, interne in linea mediana septiferis; semina 2 superposita, alterum erectum, alterum pendulum, scrobiculato-exsculpta tereti-angulata, operculo embryali orbiculato umbonato.

Cartonema spicatum R. Br.

Diagn. Foliis lineari-lanceolatis, spica densa grandiflora, rarius basi ramosa, stylo brevi conico subulato, stigmatibus capitato; capsula majori hirsutula.

Habit. Swanriver Novae Hollandiae in arenosis silvae prope oppidulum Perth, ubi $\frac{2}{12}$ 39 legit (no. 2228) Preiss; vidi in herb. com. Franqueville, palat. vindob., reg. berol.

Descriptio fusior Schultesii (l. s. c.) ad iconem Baueri reproducta multa omittit, quae addenda et corrigenda propono: Herbae erectae gramineae, pilis adpressiusculis dense pubescentes, e basi bulboso-incrassata, foliorum vaginis dense obtecta, plures caules erectos caespitosos emittentes equidem fibras 2—4" longas flexuosas lanato-hirsutas, 1" crassas, foliorum ut dicunt radicalium vaginas perforantes. (Tubera haud vidi!). Caules ex eadem stirpe 2—6 erecti, strictiusculi, angulati; floriferi ut videtur apice nutantes aut flexuosi, nec semper (an siccande tantum?), 12—18" longi (floriferi), folia radicalia superantes, dense foliosi, omnes simplices, vix apice paullo divergentes. Folia infima (ut dicunt: radicalia) e basi 5" lata attenuata, linearia, 6—9" longa et longiora, apicem versus tenuissime attenuata, fere subulata, ipso apice saepe deficiente in foliis vetustis, flaccida, supra glabriuscula, subtus dense pilis antrorsis subadpressis puberula, margine involuto irregulariter canaliculata; caulina fere amplexicaulia, basi 2 $\frac{1}{2}$ " lata, mox attenuata, linearia et pariter in acumen subuliforme flexuosum attenuata, erecto-patentia, 3—5" longa, utrinque praesertim autem subtus hirsuto-pubescentia; sensim in folia floralia et bracteas transeuntia, a spica florente et praecipue deflorata superata; suprema (floralia) reliquis conformia, sed multo minora, 17—24" longa, erecto-patentia, dein patentia aut patentissima, sensim in bracteas multo minores transeuntia. Inflorescentia terminalis

spicata, rarissime ad infimam partem ramosa, ramo 3-floro, densa, stricta, erecta, semper folia superantia 20—30-flora, involuta 18''', dein 2½—6'' longa, 1'' fere crassa, bracteata; bractea e virides, e basi lata acuminatae, acumine longe producto, exceptis interioribus foliiformibus quam flores beviore, 6—7''' longae, dorso carinatae et puberulae, supra concavae naviculares, glabrae, flori suo adpressae. Flores in axilla cujusque bractee solitarii, pedunculo brevi, apice paullo curvato, 1—1½''' longo puberulo suffulti et bractecola e basi latiuscula, attenuato-acuminata, 5''' longa, extus puberula, intus glabra, viridi, planiuscula, eique arcte adpressa sustenti, erecti dein nutantes, ante anthesin 7''', post anthesin 9''' longi. Perigonium externum foliaceum, in alabastro conicum, subulatum, extus pubescens, basi 1½''' crassum, 7''' longum, post anthesin persistens connivens, basi trigonum 3''' latum, 9''' longum, extus puberulum, intus glaberrimum lucens; foliola ad basin usque libera, interiora longe superantia (uti recte dicit R. Br., nec „iis paullo breviora“ Knth.); interioris perigonii corollina pariter tota libera 3, in sicco albida, rotundato-obovata, (in vivo flava?), basi paullo angustata, nervis furcatis, paullo intensius coloratis percursa, diametro 6''', sub anthesi patentia, post anthesin marcescentia, nec corrugata, vix majora, semper externis tertiam partem at ultra breviora (opponente Kunth), conniventia, fructum obtegentia. Stamina 6 aequalia (nec subaequalia Kth.), ima basi foliolorum perigonii interni inserta (nec 3 perigyna Sprng.), erecta, 2''' paullo excedentia, persistentia, dein conniventia; filamenta e basi latiuscula, nervo medio crassiusculo percursa, intus concava, apicem versus sensim attenuata, recta, apice ipso subulato, supra medium incurva, ima basi pilis paucis tenuissimis patentissimis, hyalinis, articulatis, caducis obessa, apicem versus punctulis elevatis hinc inde notata, indeque scabriuscula (R. Br.); antherae erectae conformes, quam filamenta dimidio breviores (nec eis aequales Schl.), oblongae, apice obtusae, basi cordatae, supra sinum baseos insertae, flavae; loculi paralleli, contigui, per totam longitudinem, basi tantum excepta, connexivo tenui lineari adnati, lateraliter rima longitudinali ab apice basin versus dehiscentes; pollen albidum globosum. Germen sessile, trigonum, ovatum fuscum, totum pilis articulatis albidis, articulo terminali minori ovali flavescenti, erectis et patentibus obtectum indeque pilosum (nec punctulis acutissimis conspersum Knth.), 1½''' altum, 1''' crassum, triloculare; gemmulae in loculis binae superpositae sessiles; stylus erectus, trigonus,

conico-subulatus, attenuatus (nec filiformis Endl. nec conicus Sprng.); persistens stigma capitellatum sublobatum papillosum (nec barbatum R. Br., Endl., Schl.). Capsula perigonio arcte adpresso inclusa, quam internum duplo, quam externum quatruple et magis brevior, $2\frac{1}{2}$ " alta et lata, trigona, a filamentis persistentibus adpressis cineta, pallide fusca, pilis albidis articulatis minutis oblecta, stylo persistente coronata, dein ad basin trivalvis, una cum stylo nunc 3-partito; valvae apice styli parte erecta stricta coronatae, dorso sulcatae, supra sulcum intus septigeræ, persistentes, leviter tantum hiantes seminaque foventes. Semina in loculo quoque bina (nec subbina R. Br. Endl. Schl.), septo peltatim inserta, superposita, alterum erectum, alterum pendulum, ubi sese tanguunt truncata, caeterum triangularia prismatica, profunde exsculpto-punctata, sicca cinerea, humefacta fusciscentia, operculo embryali orbiculato umbonato praedita.

Observatio. — Specimina hrb. palat. vindob. a Hügel ad Swanriver lecta multo minora sunt, caeterum autem conformia; tota planta fructifera vix 7" alta, spica 1—2" longa; — specimina herbarii de Candollei anno 1815 a R. Br. data e Carpentaria et terra Arnhem 1802 lecta — et herbarii regii berlinensis ab ill. Endlicher communicata minoribus hisce speciminibus accedunt, sed valde differunt inflorescentia a foliis longe superata, 1" longa, in cauli cum spica $3\frac{1}{2}$ " haud excedente; foliis ipsis tenuissimis, angustissimis, convuluto-filiformibus indeque 9" longis, $\frac{1}{3}$ " latis; tota planta, praeprimis perigonio, densius hirsuta. Haecce specimina pro varietate: β . *humile* Hsskl. sumo. — Herb. palat. vindobon. specimen sinistrum a Ferd. Bauer in portu Jackson lectum pariter huc pertinet, dum alterum specimen ad speciem sequentem pertinet.

Cartonema parviflorum Hsskl.

Diagn. Foliis linearibus filiformi-convolutis, spica brevi ramosa, ramis spiciformibus 1—2, laxa parviflora, stylo filiformi subulato, stigmatibus subcapitellato, capsula minori glabra.

Habit. In portu Jackson, Novae Hollandiae occidentalis legit Ferd. Bauer (hrb. palat. vindobon.) et sinu Carpentaria nec non in terra Arnhem, novae Holl. boreal., 1802/3; a R. Br. Richardio communicatum erat (hrb. comit. Franqueville).

Descript. Utrumque specimen ramum tantum praebet absque radice et caulis parte inferiore, 12—18" longum, erectum strictiusculum, magis minusve dense albido-hirsutum; caulis ad folio-

rum insertiones leviter geniculato-flexuosus, angulatus, solummodo apice ad basin inflorescentiae ramo 1—2 praeditus, inflorescentiam spicato-paniculatam sistens. Folia basi lata semi-amplexicaulia, linearia, in acumen longum attenuata, convoluta, angustissima, flaccida, 8—12" longa, convoluta vix 1"', basi autem 3"' lata; superiora conformia, sensim minora; floralia 6—12"' longa, ad basin ramorum e basi lata subulata, pilis articulatis sparsis obsessa, hisce dillabentibus dein glabra. Inflorescentia terminalis spicata, addito ramo evoluto 1—2 ad basin inflorescentiae indeque spicato-paniculata, 6—15" longa, bracteata, multi- (nec densi-) flora; rachis angulata hirsuta erecta, ramorum apice versus spicam centram connivens, floribus fructibusque delapsis dein bracteis et pedicello cum bracteola persistentibus ornata; bractee erecto-patentes, e basi lata lanceolatae, acuminato-subulatae, apice recurvo, 3"' longae, extus hirsutae, intus glabrae, pedicello florique adpressae eumque sustinentes; pedicelli solitarii, dimidiam aut tertiam bractee sustentis partem longi, erecti, cum bracteola sua terminali, flori adpressa hirsutuli et flore delapso cum hac persistentes; bracteolae minutae, pedicello suo paullo longiores, lineari-subulatae, apice recurvo. Flores ad apicem pedicelli, hoc quoque longiores, bracteam suam excedentes, 3"' longi, erecti aut erecto-patentes, ad apicem spicae comam densam conformantes. Perigonium externum et internum 3-phyllum persistens; foliola externa lineari-lanceolata, acuminatissima, intus (supra) concava, glabra, 3"' longa, 3/4"' lata, post anthesin paullo excrescentia, 3/2"' longa, interna petaloidea albida, striulis copiosis brunneis inter nervos fuscescentes flabellatim dispositos notata, obovato-rotundata, quam externa 1/3 breviora et lata, persistentia, conniventia, apice inflexo concava ideoque capsulam obtegentia. Stamina 6 basi foliorum perigonii inserta, erecta, 1"' vix longiora, persistentia, capsulam dein cingentia eique adpressa; filamenta glabra e basi latiore teretiuscula, apice subulato-attenuata, dein deflorata anthera sua duplo longiora; antherae pallide flavae, quam filamenta duplo longiores, lineari-oblongae, basi cordato-emarginatae, apice obtusae ibique primo poroso-dehiscentes, dein rima longitudinali ab apice basin versus dehiscentes. Germinum minutum ovato-trigonum, vertice hirsutulium, dein in stylum attenuatum, 3-loculare; stylus basi crassiusculus, glanduloso-puberulus, filiformi-subulatus, 2"' et ultra longus, persistens; stigma subcapitellatum papillosum. Capsula a perigonio et staminibus persistentibus cincta apiceque obtecta, 3-gona, ovata, fusco-nigra,

glabra, punctulata, quam stamina excreſcentia vix longior, 2''' alta et lata, apice stylo longo filiformi subulato coronata, 3-valvis usque ad medium styli, qui exinde basi 3-partitus evadit, supra medium autem indivisus remanet; valvae extus in linea mediana sulcatae, intus septiferae. Semina in loculo quoque 2 superposita generis, (matura haud vidi!).

Dr. J. Peyritsch. Ueber Pelorien bei Labiaten II. Folge.
(Aus dem LXII. Bde. d. Sitzb. d. k. Akad. d. Wissensch.
Wien 1870. 27 S. VIII Taf. 8°)

Indem wir das Erscheinen dieser II. Folge der Pelorien bei Labiaten constatiren, bedauern wir, dass die Anlage der Abhandlung so ist, dass eine Anzeige derselben einen übermässigen Raum einnehmen müsste, ausserdem wären in gewissen Fällen die Abbildungen auch ganz unentbehrlich. Wir können demnach nur versichern, dass auch diese Abhandlung des Dr. Peyritsch mit der ihm eigenen Gründlichkeit und Gewissenhaftigkeit ausgeführt ist und wenn wir auch einerseits hoffen, dass er die übrigen noch nicht veröffentlichten Familien baldigst an das Licht bringe, so können wir andererseits nicht verhehlen, dass Dr. Peyritsch gegenwärtig der einzige in Deutschland ist, welcher eine den modernen Anschauungen entsprechende Phytoteratologie zu bearbeiten im Stande wäre, und dass dies ein Postulat der Zeit ist kann man nicht im entferntesten bestreiten. Die Tafeln sind wie immer hübsch ausgeführt und was besonders zu betonen, jedenfalls nothwendig, bis in die kleinsten Details naturgetreu. Die Abbildungen stellen dar *Galeobdolon luteum* Huds. Tab. I. — *Lamium maculatum* L. Tab. II. III. — *Ballota nigra* L. Tab. IV. — *Calamintha Nepeta* Hoffm. et Link Tab. V. — *Micromeria rupestris* Benth. Tab. VI. — *Nepeta Mussini* Henk. Tab. VII. — *Prunella vulgaris* L. Tab. VIII. t—z.

Botanische Notizen.

Der seitens der deutschen Marine abgeschickten Expedition zur Erforschung der deutschen Meere sind Prof. Dr. Jessen und Dr. Magnus als Botaniker beigegeben, da sich die Untersuchungen auch auf die Meeresflora erstrecken sollen. —r.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1871

Band/Volume: [54](#)

Autor(en)/Author(s): Hasskarl C.

Artikel/Article: [De Commelinaceis quibusdam novis 257-267](#)